

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

De secundo

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

*Alterum simile desumptum est à Baptismo
re lavatorio: potestis, quærit ille, baptizari
baptismate, quo ego baptizabor? eoque i-
terum passionem & mortem suam respicit,
quam expresse baptismum vocat, inquit:
Baptismo habeo baptizari, & quomodo
coarctor, usque dum perficiatur, Luc. 12.
vers. 50.*

*In scriptura non infrequens est, quod per
aquas & fluctus omnis generis afflictiones &
persecutiones indignantur. Vide Psal. 18. v.
17. Psal. 69. v. 2. 3. Psal. 93. v. 4.*

*His Servator passionis tempore immer-
sus est, ideo conqueritur de torrentibus
Belial, qui ipsum conturbaverint, Psal. 18.
v. 5. Et discipulis suis similiter de baptismo
crucis prædicat, quem suo exemplo subire
teneantur, juxta communem illam regu-
lam: Si quis vult post me venire, abneget
seipsum & tollat crucem suam, & sequa-
tur me, Matth. 16. v. 24.*

*Id omni tempore parati expectemus o-
portet. Quemadmodum enim Israelitæ,
quamprimum de aqua petra biberant cum
Amalec pugnare cogebantur, qui ipsis vi-
am ad palæstinam intercludere intendebat,
Exod. 17. v. 8. Ita & nobis, quando aqua
petra salutis, qui Christus est, 1. Cor. 10.
v. 4. conspersi sumus, infernalis ille Ama-
lec pugnam indicit, cum quo per totam
diem h. e. omnem vitam nostram pugnare
cogimur, Job. 7. v. 1. Christus enim Rex
crucis est, qui per passionem & mortem in-
travit in gloriam suam, Luc. 24. v. 26. In
baptismo vexillo ejus sanguineo quasi sa-
cramentum dicimus, ideo non inique fer-
re debemus, quando cum eo eandem for-
tunam subire cogimur. *Baptismus aqua
in verbo, & baptismus crucis individa sunt,**

*& qui Christianus esse vult, cum sti-
gnatum crucis non pudere debet, Gal.
6. v. 17. alias ipso dignus non est, Matth.
10. v. 38.*

*Sed & hoc solatium non manet, quod
sicut fluctus maris à Deo derivantur, qui
mare conturbat, ut intumescant fluctus e-
jus, Esa. 51. v. 15. ita sine voluntate ejus ni-
hil adversi nobis obtingere valeat. Non
enim malum est in civitate, quod non fa-
ciat Dominus, Amos. 3. v. 6. ideo eo mo-
deratius quoque id ferre possumus, cum
Davide dicentes: Elevarunt flumina Do-
mine, & c. Psal. 93. v. 4. 5. 6.*

De Secundo.

Pergemus nunc ad alteram partem,
ἡμεῖς ἴσμεν, sive notitiam Christi,
contemplaturi. Qui commendatur no-
bis:

I. *Tanquam mansuetissimus increpa-
tor.* Hic duos hos discipulos non modo
enormiter errare audimus, dum Christum
terrenum regnum inchoatum putant, in
coquet terrenis officialibus indigere: sed
tanta ambitione quoque incensi sunt, ut
primum dignitatis gradum præ omnibus
aliis affectent: Ratione hujus errati non
levem correctionem meriti fuissent: at-
tamen Servator cum mansuetudine eos-
dem corrigit, inquit: Nescitis, quid
petatis.

*Nobis hoc solatio esse debet, ne despere-
mus, si & ipsi forte ex infirmitate humana in
delicto aliquo præoccupati fuerimus, Galat. 6.
v. 1. siquidem nullo momento extra dis-*

crimen sumus, quia & septies iustus in die cadit, Prov. 24. v. 16.

Iesus noster, qui respectu imbecillitatis discipulorum patientia usus est, non statim abjiciet nos, si forte ex infirmitate deliquerimus, quoniam ipse novit figmentum nostrum, Psal. 103. v. 14. ideoque calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet, Esa. 42. v. 3. sed ex gratia peccata teget, nec ad damnationem imputabit, Psal. 42. v. 2. Hinc Micha admirandus clamat: Quis Deus similis tui. &c. Mich. 7. v. 8.

Nos vestigiis eius insistentes, infirmos in fide assumere debemus, Rom. 14. v. 1. ita, ut eos in faurem spiritu lenitatis, Gal. 6. v. 1. Jacob. 5. v. 19. 20.

Gideon Midianicos invasurus dixit ad milites suos: Quod me facere videritis, hoc facite, Jud. 7. v. 17.

Ita caelestis Gideon nobis quasi ante oculos versatur, & quemlibet, qui sub vexillo suo militat, hac quasi voce in clamat: Quod me facite videritis, hoc facite, id alibi sic effert: Discite à me, quia mansuetus sum & humilis corde, Matth. 11. v. 29. hæc suprema nobis lex esto: Qui enim dicit, se in ipso manere debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulat, 1. Joh. 2. v. 6.

Ipsè fuit mitis, qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur, tradebat autem iudicanti iuste, 1. Petr. 2. v. 23. Idem & nobis faciendum est, nulli malum malo reddentes, ne vincamur à malo, sed vincamus in bono malum, Rom. 12. v. 17. ult. Beati inter, quoniam ipsi possidebunt terram, Matth. 5. v. 5.

Ipsè fuit humilis corde, & quamvis in for-

ma Dei esset non rapinam arbitratus est, quale Deo esse, sed seipsum exinanivit, usque ad mortem, mortem autem crucis, Phil. 2. 7. Id & nos imitemur oportet: quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, 1. Petr. 5. v. 5. Hoc coram Deo & hominibus probabitur, Sir. 25. v. 1. impletur enim lex Christi, Gal. 6. v. 2.

II. *Tanquam fidelissimus informator.* Discipuli opinabantur, Christum se ad terrenas dignitates evecturum esse, & alterum ad dexteram, alterum ad sinistram suam constituturum. Verum Servatore ejusmodi regnum plane ignorat. Etsi enim Rex Regum est, Apoc. 19. v. 16. portans omnia verbo virtutis suæ, Heb. 1. v. 3. & ejusmodi potestate pollet, ut omnia quæcunque velit facere possit, in cælo & in terra, in mari, & in omnibus abyssis, Psal. 135. v. 6. attamen hoc regnum per discipulos suos administrari volebat: sed alios ad hoc destinavit, unde expresse ait: Reges gentium dominantur eorum: & qui potestatem habent super eos, beneficii vocantur. Vos autem non sic, Luc. 22. v. 25.

Regnum vero, quod per ipsos propagatum ibat, spirituale est, non esca & potus, sed justitia & pax, & gaudium in Spiritu Sancto, Rom. 14. v. 18. ideo subinde in N T. regnum cælorum dicitur, Matth. 20. vers. 1.

Hoc regnum adhuc hodie in Ecclesia administrat per ministros & legatos suos, velut caput ecclesiæ suæ, Ephes. 1. vers. 22. non externa vi, sed per verbum & sacramenta, hæc virga directionis sunt, Psal. 45. vers. 7. Beatus, qui per hanc

Dddd 2 fe

seregi finit, & huic Domino servit, in iustitia & sanctitate coram ipso, Luc. 1. v. 75. fructur enim ille privilegiis & immunitatibus illis, quæ Christus omnibus regni sui consortibus acquisivit, ut sunt, iustitia, quæ coram Deo consistit, Rom. 10. v. 3. ut & spiritalis pax conscientiæ, Joh. 14. v. 27. & vita æterna quam Deus repromisit diligentibus se, Jac. 2. v. 5.

Igitur aliquando cum Christo in regnum gloriæ introire cupientes, & cum eo regnare mille annos, Apocalypf. 20. v. 5. ante vera ecclesiæ militantis membra esse, & calicem crucis bibere, nec non baptismum crucis suscipere tenemur, Fidelis sermo: nam si commortui fuerimus, & convivemus, 2. Tim. 2, 11.

Quodlibet regnum leges & statuta sua habet, quæ subditi sequi tenentur: Ita & hic Rex in regno spirituali, nobis tanquam subditis suis peculiare leges & statuta, præscripsit, quæ observare tenemur. Quicunque enim hanc regulam secuti fuerint, pax super illos & misericordia, Gal. 6. v. 15. quod enim hic per fidem habeat, ibi per speciem videbunt, 2. Corinth. 5. vers. 7. Quando Christus spirituale hoc regnum tradet Deo & patri, 1. Cor. 15. v. 24. & aliud regnum ordietur, in qua fides & prophetia cessabunt, caritas autem permanebit, 1. Cor. 13. v. 13. tum nullis concionibus & sacramentis amplius indigebimus, sed à Domino docti erimus, Esa. 54. v. 13. cognoscentes eum à minimo, usque ad maximum, Jerem. 31. vers. 34.

III. *Tanquam decreti paterni observator.* Eo spectat responsum, quod his supplicanti- bus dat: Calicem quidem meum bibetis, & baptisinate, quo ego baptizor, baptizabi-

mini: sedere autem ad dextram meam & sinistram, non est: meum dare vobis: sed: quibus paratum est à patre meo.

Hoc non ita intelligendum est, ut Arriani id explicarunt, quasi Christus non omnia dare possit, quæ ab ipso petimus: Est enim Dominus super omnia, Act. 10. v. 36. Sed *ut illi petebant, sic & Christus illis responderet*, & innuit hoc ipso, non se à patre missum esse, ad terrenas dignitates iis distribuendas, quos non ad dominandum sed omnibus serviendum destinarat. Sunt etenim diversi status in hoc mundo, qui confundi non debent: sed unumquemque sicut vocavit Deus, ita & ambulet, 1. Cor. 7. v. 17. Quicunque igitur altiorem dignitatis gradum affectat, quam Deus ipsi dedit, non eum honorem intendit, quem Deus ipsi paravit, ideo cogitet modo, quod id minus servatori placeat, ipse enim ad paternum unum sunt, Job. 10. vers. 30.

Ideo nullum hinc argumentum formari potest, quo omnipotentia, aut divinitas Christi infringi possit. *Non enim potestatem negat, sed dispensationem ostendit*, ut Cyrillus ait: Reges enim gentium dominantur, vos autem non sic, Luc. 22. v. 25. 26.

Alias & spiritualiter non aliter intelligendum est, quam quod illi soli hæredes salutis esse, & cum Christo in throno ejus sedere debeant, sicut & ille vincens, sedet cum patre suo in throno ejus, Apoc. 3. v. 21. quos Deus ab æterno ad id prædestinavit: sed non absolute sine respectu fidei & incredulitatis: verum in Christo, qui unus homo est in gratia, Rom. 5. v. 15. qui nos gratificavit, Eph. 1. v. 6. Hi vero illi sunt

sunt; qui salutem suam non quærunt in operibus: sed unice propitiatorio sacrificio Christi per fidem innituntur, quod præstitit pro peccatis totius mundi, 2. Joh. 2. v. 2. & hoc ipso consummavit in sempiternum eos, qui sanctificantur, Hebr. 10. v. 14.

Si hoc ita feceritis nunquam confun-

demini, omnia enim possibilia sunt credenti, Marc. 9. v. 23. Die novissimo audietis ex ore ejus suavissimum illud Venite benedicti patris mei. Largiatur id nobis Deus omnibus, Amen.

In festo die D. Bartholomæi Apostoli.

Evangelium Luc. 22. v. 24. --- 30.

EXORDIUM.

Postquam Judæ cum nuru sua Thamar illicite concubisset, instante partu apparuerunt gemini in utero ejus. Atque in ipsa effusione infantium unus protulit manum, in qua oblectrix ligavit coccinum, dicens: Iste egredietur prior. Illo verò retrahente manum, egressus est alter, dixitq; mulier: quare rupisti propter te rupturam? & ob hanc causam vocavit nomen ejus Pharah, i. e. divisio, diraptor. Alterum verò appellavit Zarah, i. e. oriens, quia prius se ostenderat, Gen. 38. v. 13, 28.

Hæc mystice explicabimus.

Nos omnes Dilecti! ejusmodi *moertricem in sinu nostro habemus*, quæ est carnalis concupiscentia, militans adversus animam, 1. Petr. 2. v. 11. hæc, quando à Diabolo vitatur, non modo gemellos, sed multos filios & filias in lucem edit. Sicut in *Vitis Patrum* refertur, quod Diabolus ali-
quando constituerit uxorem ducere: & postquam ei sponsa obtigerit, nomine Impietas, se cum illa matrimonium iniis-

se, & septem filias genuisse, quas deinde per mundum distribuerit, hominibusque cloaverit.

Primam appellatam esse *Arrogantiam*, quam Nobilitati & cæteris Magnatibus nuptum dederit: illi enim plerumque abutuntur potentiâ suâ, dicentes: Ego sum, & extra me non est alius amplius, Sophon. 2. v. ult.

Alteram vocatam *Avaritiam*, negotiatoribus & mercatoribus eam despondisse, qui propter pecunias delinquant, & oculos suos avertunt, Sir. 27. v. 1.

Tertiam, *Falsitatem* dictam, junxisse Rusticis: licet enim hoc vitium aliis quoque familiare sit: attamen rusticorum proprium in quarto modo est, qui ab ipsis non decipitur, est quod gratuletur sibi, domus eorum plena dolo, Jer. 5. v. 27.

Quartam, *Invidiam* nominatam, adjunxisse Mechanicis, inter quos maximè frequens est: Contemplatus sum omnes labores & industrias operum, animadverti patere invidiæ proximi, Eccl. 4. v. 4.

Dddd 3;

Quin-